CHRISTFR. WÆCHTLERI, D.

De

CANCELLARIIS VETERUM COMMENTATIO.

DRESDÆ,

Literis JOH. MICHAEL. FUNCKII,

cIↄ Iↄ CCV.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

PER ILLUSTRI ATQ. EX-
CELLENTISS. DOMINO
DN.
GVOLFF. SIEGFRIDO
a KÖTTERIZ,
Dynaſtæ Wildenborn. Beuchæ,
Steinbachii,
POST
AULÆ SAXO-NUMBURGENSIS
SPLENDIDOS CHARACTERES,
Potentisſimi Poloniarum Regis &
Electoris Saxoniæ
HODIE
Conſiliario Sanctiori &
Vice-Cancellario,
CETER.
DOMINO S. AC MÆCENATI,
PERENNEM FELICITATEM.

Digitized by Google

COgitanti mihi inter præſentes fori tantum nõn continuas curas de excelſo & ſublimi illo, quo DEUS & REX TE, PERILLUSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME DOMINE, his diebus clementiſſime ornarunt, charactere, non ſine aliqua commotione venit in mentem commune propemodum aſſertum virorum etiam eruditorum, *non fuiſſe adeo magnæ dignitatis Cancellariorum officium ſub priſcis Imperatoribus*, apud Petrum Pithœum Lib. 2. Adverſar. ſubſeciv. cap. XII. Henricus Spelmannus Gloſſar. fol. 126. *Loqvitur de hoc munere Flavius Vopiſcus in Carino, qvi floruit circiter Ann. Dom. 287. ac ſi non ſolum humile tunc fuiſſet, at deſpectui. De vocis ipſius exilitate, rei amplitudinem neqvaqvam exprimente extat*, inqvit Henricus Meibomius Tom. 3. fol. 241. *epiſtola Joannis Oldendorpii JC. ad qvam lectorem remitto.* Illam ego epiſtolam ut ut nondum viderim, apud Gulielmum Budæum tamen veſtigia, quæ Oldendorpius fortaſſe legerit, deprehendo, Annotat. prior. in Pand. p. 298. *Cancellarii nomen apud nos Gallos, vereor ut jam conſentaneum tantæ rei eſſe poſſit. Nam ut eſt hoc tempore ἀξίωμα, i. e. dignatio ac majeſtas hujus honoris, tenuis hæc appellatio, atq; apud alias gentes proculcata, ſignificatum ſuum ſuſtinere ac perferre non poteſt. -- Atqvi ne iis qvidem ſeculis, quæ hoc verbum genuerunt, ſatis feſtivum nomen fuerit Cancellarii.* Jam & Jacobus Gothofredus Tom. I. Cod. Theodoſ. *nomen id olim officii ſeu obſervationis & miniſterii erat; ſic ut illa ætate non dicam mediocris, verum omnino nulla eorum eſ-*

ſit dgnitas. — Nempe qvia ſumma tum Præfectura Urbana dignitas erat, cancellariorum nulla penitus, ſed miniſterii tantum genus. -- Ut proinde minus ſint audiendi, qvi cancellarii nomine ſecretarium, ſcribam, intelligunt, qvaſi qvi intra cancellos ſcribendis epiſtolis, ſententiisq́; judicum operam darent. -- Breviter, τῆς εὐκοσμίας *in Prætorio obſervandæ cuſtos cancellarius erat - & omnis eorum Opera in cancellis Secreti, & ad cancellos hærebant, qvibus non tantum vela prætendebantur, verum etiam trans vela cancellis ſepiebantur.* (Sumpta hæc e notis Jac. Sirmondi ad Sidonium Apollinarem p. 14.) *Igitur ut a velis velarii dicti ſunt, ita a cancellis cancellarii. Gloſſæ Baſilicorum,* κάγκελλον ἀντὶ τοῦ δικτύσκου (ſcribendum δικτυωτοῦ) ἔνθεν καγκελλάριοι, οἱ ἐν αὐτῷ ἑστηκότες, *Cancellum pro reticula, unde cancellarii, qvi in cancello ſtant. -- Qvæ arguunt, qvam vile fuerit cancellariorum munus, imo miniſterium, qvæ eorum vilitas.* Hic ut paucis multa dicam, tenendum eſt, ipſum Jacobum Gothofredum accurate diſcernere primam vocis ſignificationem ab ea, quæ poſtmodum fuit impoſita, & a priore illa toto genere recedit. *Tandem* inquit d. l. *tractum hoc nomen ad ſummum ſecreti Magiſtrum, & ſummum Qvæſtorem in Conſiſtorio, ſeu Aula Regia.* Hic corticem retinuit illud nomen; reliqva omnia abſorpta ſunt. Ergo cavere debebant, qvos paulo ante nominabam, ne incaute Cancellarii munus tribuerent vocabulo adhuc rudi neq́; jam tum elaborato: qvod utiq́; fecit Petrus Pithœus, putans, verba Flavii Vopiſci: *Carinus Præfectum Urbi unum ex cancellariis ſuis fecit: qvo fœdius nec cogitari potuit aliqvando nec dici;* de officio cancellariorum non contemnendo, etſi non adeo magnæ dignitatis, accipienda eſſe. Neque enim dubitat ſecretarios dicere, qvos nunc cancellarios appellaſſent. Qvod mores Carini non patiuntur. Sicut enim Vopiſcus *enormia illius vitia, & ingentes fœditates* enarrare propoſuerat, ita primum

mum locum occupat, Præfectum Urbi feciſſe unum ex cancellariis ſuis. Porro unum ex his *notarium*, qvem ſtuprorum & libidinum conſcium ſemper atq; adjutorem habuerat, Conſulem fecit. (Forte mendum ſubeſt in voce *notarium.*) Faſtidium ſubſcribendi tantum habuit, ut impurum qvendam, cum qvo ſemper meridie jocabatur, ad ſubſcribendum poneret. Si unum ex cancellariis ſuis, eo, quem Pithœus cupit, ſenſu poſuiſſet, id ſane non foret adeo fœdum. Sic Præfectum Prætorii occidit idem, & in ejus locum non aliqvem ex cancellariis ſuis, ſed veterem conciliatorem, (lenonem) fecit. Hæc demum fœda ſunt, & Carino recte conveniunt. Neq; qvicqvam huc pertinet locus Sidonii Apollinaris L. I. Epiſt. 2. a Pithœo allatus. Deſcribitur enim ibi aula multo recentior ac cultior Theoderici Regis Gothorum: *reliquum mane regni adminiſtrandi cura ſibi deputat. Circumſiſtit ſellam comes armiger*, pellitorum *turba ſatellitum, ne abſit, admittitur, ne obſtrepat, eliminatur: ſicq; pro foribus immurmurat, excluſa velis, incluſa cancellis.* Nihil hic de ſtatu cancellariorum eorum, de qvibus Vopiſcus. Pro *pellitorum* autem eſt qvi legat, *pellitur;* eo ſenſu: ſolum Comitem circumſiſtere ſellam, turbam vero ſatellitum, qvibus præeſt, non circumſiſtere, ſed pelli: ita tamen, ut nec plane abſit, nec tamen poſſit obſtrepere. Ideo pro foribus admittitur illa turba immurmurare, velis qvidem, (qvæ Sellam tegunt,) excluſa, cancellis tamen adhuc exterioribus incluſa. Retinuit autem *pellitorum* etiam Jacobus Gothofredus d: l. quaſi *pellibus indutorum.*

Loca Caſſiodori, qvæ ſimiliter a Pithœo afferuntur, nihil commune habent cum verbis Vopiſci. Sunt enim omnia de temporibus multo recentioribus capienda. Primus nimirum, divin. Lect. c. 17. p. 901. de Marcellino, continuatore Chronici Euſebiani. Alter exhibet ultima verba formulæ I.

Digitized by Google

Lib. XII. qvum aliqvis electus ex cancellis a Caſſiodoro P.P. mitteretur in qvandam provinciam. Debebant autem potius illa adduci, ibidem, p. 741. *Perge igitur ad illam provinciam, cancellorum pompa decoratus, & glorioſa gravitate præcinctus. Faſces tibi judicum parent, & dum juſſa Prætorianæ ſedis portare crederis, ipſam qvodammodo poteſtatem reverendus aſſumis.* Nihil omnino hæc ad mentem Carini. Tertius locus depromitur ex lib. XI. formul. 6. p. 694. ubi Joannes qvidam eodem modo electus in provinciam mittitur; qvo ſpectat L. 3. C. Theod. de Aſſeſſ. & Dom. & cancellar. Nolim autem omittere, qvæ Pithœus hic omiſit: *Vide, qvo te antiqvitas voluerit collocari: undiq; conſpiceris, qvi in illa claritate verſaris. Proinde ad noſtra monita aures animumq; converte: fige menti omnia, qvæ jubemus: non te tanqvam vacuam fiſtulam, dicta perexeant: qvæ tam diu plena conſpicitur, qvamdiu in eam undæ influere poſſe noſcuntur. Eſto potius conceptaculum, qvod audita cuſtodias, qvod ſuſcepta non fundas. Qvia nihil proderit, ſi auribus tuis tranſitura placeant, & in cordis finibus ſe omnia non defigant.* Inepte hic ad oram notavit non nemo, *Arcanum Cancellarii.* Qvartus agit forte de eodem Joanne, Lib. XI. formul. 27. p. 720. ac dicitur is jam tunc prærogativam meruiſſe, qvando ſecreti munus judicialis accepit. Poſt pauca: *Hanc igitur prærogativam ſententia noſtra confirmat, ut gradus potius emeriti devotioribus animis publicæ pareat juſſioni.* Obſcuriora paulo ſunt hæc ultima. Sed auget obſcuritatem Pithœus, legens: *Hunc igitur prærogativarum.* Antecedit autē, *& tunc jam prærogativam conſcientia meruit.* Non igitur ad titulum, *de prærogativario*, &, *de officio prærogativarum*, qvin potius ad ea, qvæ habet Gul. Budæus part. poſter. Annot. ad Pand. p. 109. 110. 111. erat attendendum.

Tandem Pithœus ait, Præfectum qvoq; Urbi cancellarios cum ſcribis in officio ſuo habuiſſe, & eos indicare antiqvum

Edictum

Ediſtum Turcii Aproniani P.V. Imo duo Edicta hujus Aproniani exhibet Gruterus Oper. Inſcript. fol. DCXLVII. n. 6.7. Jacobus autem Gothofredus etiam cum egregio commentario, ad *L. IV. C. Theod. de Suariis, pecuariis & ſuſcept. vini.* Tom. V. At vero iſti cancellarii, qvorum in Edictis hiſce ſuariis fit mentio, neq; ad mentem Carini, neq; ad loca Caſſiodori pertinent, & turbatur ordo temporum penitus. Duo Romæ animalibus vendendis fora erant deſtinata, boarium, & ſuarium, ubi tantum ſues veniebant. Creatus etiam fuit Tribunus fori hujus ſuarii, qui curam habebat, ut juſto pretio & ſine fraude ac morbo ſues venderentur. Panciroll. ad *Notit. Imper. Occid. c. XII. fol. 22.* Cura hæc autem ſuaria incumbebat præter Tribunum cuidam e cancellariis, ſcribæ, aliisq; de Ordine ſuario, de quibus extant in C. Theod. Leges Conſtantini M. Juliani, Valentiniani. Ubi nemo dixerit, miſcendum hunc Ordinem ſuarium eſſe, ſive cum officio ſtantium in Prætorio, ſive illorum, qvi poſt electionem cum pompa aliqvâ & glorioſa qvadam gravitate in provincias mittebantur: etiamſi negari neqveat, commune hic omnibus nomen tribui.

Illud vero notatu dignum cenſeo, officium cancellariorum, ne promiſcue cuivis volenti ingredi in Secretarium & Prætorium poteſtas eſſet, pertingere potuiſſe etiam ad tempora ipſius Juſtiniani M. Sic enim Agathias in Hiſtoria ipſius, Libro primo p. 26. Ναρσῆς δὲ ἐπὶ Ῥαβένναν ἰὼν, μόνους ἐπήγετο τοὺς ἀμφ' αὐτὸν θεραπευτάς τε καὶ δορυφόρους, καὶ ὅσοι τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ὑπηρέται ἐτύγχανον ὄντες, οἷς δὴ τὰ ἀρχεῖα ἐπεφρόντιστο, *Narſes verò ſe Ravennam recepit, famulitio tantum ſatellitioq; ſuo ſecum ſumto & iis, qvi ipſius aulam adminiſtrabant; qvibus utiq; ARCHIVA curæ erant,* Vulcanio interprete. Aſt vero Jacobus Gothofredus, qvi nobis hunc locum ſuppeditat ad *L. 5. C. Theod. de Aſſeſſ. & domeſt.*

Digitized by Google

domeſt. & cancellar. Tom I. τὰ δέχεια non de Archivis, ſed de loco Prætorii ſive curia Magiſtratus exponit. Videnturq; hoc innuere verba, qvæ ſeqvuntur, τῆς ἄλλης εὐκοσμίας πέρα, καὶ ὅπως μὴ χύδην ἅπασι τοῖς βουλομένοις ὡς αὐτὸν εἰσιτητέα εἴη, *tum alias ob ornatum, & præterea ne omnibus temere ad eum aditus pateret.* Neq; vero Narſeti apud exercitum, tunc in hyberna mittendum, ſtatim autem ineunte vere iterum congregandum, Archivum ad manum fuiſſe, vel Archivarios, credideris. Jam ecce, τούτους δὲ ἔθος ῥωμαίοις ἐκ τῶν κιγκλίδων ἐπονομάζειν καὶ τῆς ἐν τούτοις ἐπιμελείας, *Hos vero mos eſt Romanis a cancellis appellare, & ab opera in iisdem.* Certe in Codice Juſtinianeo nullum ejus rei veſtigium Tribonianus nobis ſervavit. Qvumq; titulum *de Suariis & ſuſceptoribus vini*, nollet plane delere, utiq; Edictorum Aproniani nullam ibi fecit mentionem, & ex omnibus legibus retinuit ſextam, qvam primo loco collocat; unde autem ſecundam ſumpſerit, non liqvet. Idem contra ſub Rubrica *de Aſſeſſoribus & Domeſticis & cancellariis judicum* Legem ſecundam & tertiam C. Theod. integram recitat, neq; verba illa prægnantia omittit: *periculo enim primatum officii cancellarios ſub fide geſtorum ex eodem officio electos judicibus applicari jubemus. — Si enim idonea cauſa exegerit, ad detegenda judicis flagitia & qvæſtioni eos ſubdi oportet.* Ubi Jacobus noſter: *hoc ipſum, ſi qvod aliud, arguit, qvam vile fuerit iſtorum miniſterium;* addo, qvam exigua pompa illa & gravitas glorioſa, qvam Caſſiodorus paulo ante tribuebat. Sed & in Corpus Βασιλικῶν intravit lex illa: ὁ ἄρχων Φέρων μεθ' ἑαυτοῦ ἰδίους καγκελλαρίους, ἢ δομεστίκους — καὶ τὸν ἄρχοντα ἐλέγξουσι. *Præſes qvi ſecum duxerit cancellarios ſuos aut domeſticos, -- & præſidis flagitia detegent.* Tom. I. Libro VI. Tit. 1. Et Tit. 3. οὐ μόνοι δὲ οἱ ἄρχοντες, ἀλλὰ καὶ οἱ σύνεδροι καὶ οἱ καγκελλάριοι καὶ οἱ δομέστικοι. Libro 7. Tit. 1. inſerta eſt Novella Juſtiniani 82. ejusq; caput 7. hoc modo conceptum:

Digitized by Google

ptum: *ἑκάστου δικαστοῦ δύο μὲν τοῖς ὑπογράφουσι χρωμένου, ſinguli judices duos exceptores ſive notarios habeant.* Alibi, duos amanuenſes. Incertum, qvare muretur ſtylus, *δύο δὲ τοῖς τὰς δίκας παρασκευάζουσι τε καὶ ἐπείγουσιν, & duos executores, qvi litibus imminent,* alibi, *duos cauſas præparantes & complentes.* Haloandrina: *ἑκάστου μὲν δικαστοῦ δυσὶ μὲν τοῖς ὑπογραφεῦσι χρωμένου, δυσὶ δὲ τοῖς τὰς δίκας παρασκευάζουσί τε καὶ ἐπάγουσιν.* De iisdem perſonis agi colligo ex iis, qvæ ſtatim adjiciuntur, *κινδύνῳ τῶν τάξεων ἢ σχολῶν ἢ σκρινίων τῶν παρεχόντων αὐτοῖς. τὴν ἐπ' αὐτοῖς ἐπιλογήν τε ἅμα καὶ ὑπουργίαν εἶναι, periculo ordinum, vel ſcholarum vel Scriniorum, qvæ illos deligunt & huic miniſterio præficiunt, creentur.* Qvod mox iterum repetitum eſt, *γνώμῃ καὶ προβολῇ τῶν, οἷς ταῦτα κινδυνεύεται, judicio & electione eorum, ad qvos periculum pertinet.* Liceat igitur ſtatuere, Juſtinianum, ſtylo Novellarum, jam abſtinuiſſe vocabulo Veterum. Tum vero Nicetas Choniatés Libro VII. Annalium fol. 101. de Friderico Alemanniæ Rege, *ὥστε ὁ μὲν τὸν οἰκεῖον, ὡς ἡ Λατίνων βούλεται φωνή,* ΚΑΓΚΕΛΛΑΡΙΟΝ, *ὡς δ' Ἕλληνες εἴποιεν, Λογοθέτην πέμψας μετὰ πλείστης δυνάμεως, Sic igitur Fridericus CANCELLARIUM SUUM, voce Latinorum, ſive ut Græci amant, λογοθέτην, miſit cum plurimis copiis.* Loqvitur de Epiſcopo Moguntino. Hic manifeſtum eſt, totam ſignificationem priſcam exutam, & novam inventam eſſe.

Veteres enim, aut ſaltem proximi Veterum, etiam Seculo adhuc ſexto teſte Reineſio Noſtro, aliter uſurpabant in ipſis Inſcriptionibus ſepulchralibus. Extatq; Claſſe XX. inſcriptione LXII. ad oram fol. 912.

QVOD FUIT EX JURE QD. MICINI CANCEL
IN LURBS PD. PATRIS MEI.

Ubi Index Reineſianus: *Cancellarius Jul. Urb. Sedis Præf.* qvaſi ſcriptum fuiſſet:

CANCEL JUL URB S PF.

B Priori-

Prioribus vero temporibus Urbes Romanæ, Græce loqventes, duos habebant Senatus Præſides, qvi audiebant ἄρχοντες ſeu στρατηγοὶ, qvibus adjungebatur γραμματεὺς, Senatus & Populi ſcriba, qvi omnes leges, Plebiſcita, & Senatusconſulta in tabulas referebat, eorumq; cuſtos & interpres erat. Is, ſi ἄρχων e vita in magiſtratu exierat, nomine ſuo nummos ſignabat. Horum numerum ſatis magnum dedit nobis Jo. Vaillant, *Numiſm. Græc. fol. 313.* Ferme ſicut Eumenes ἀρχιγραμματεὺς Alexandri M. vocabatur. Qvod cum Plutarcho parum conveniens videretur cum moribus Romanorum, apud qvos *Qvæſtores Sacri palatii* cupiebant ſalutari, adjecit, ἐκαλεῖτο μὲν ἀρχιγραμματεὺς, τιμῆς δὲ ὥσπερ οἱ μάλιστα φίλοι καὶ συνήθεις ἐτύγχανεν, *vocabatur qvidem ſcribarum princeps,* (γραφεῖον ἔχων καὶ πινακίδιον) *ſed in pari erat dignatione, ac præcipui Regis Amici ac familiares.* Vit. Eum. fol. 583. Ex qvibus judicandum de mercenariis, qvorum in ejusdem vita mentio apud C. Nepotem injicitur.

Ac miror, locum hunc Paulo Aemylio, Scriptori Rerum Francicarum, tanti exiſtimatum, ut ejus in illuſtri argumento de Gothofredo, Epiſcopo pariter Pariſienſi & Cancellario Franciæ, meminiſſe voluerit. Libro III. fol. 103. Sed diſco hinc, *Cancellarium Franciæ* eo, qvo Paulus Aemylius ſcribebat tempore, fuiſſe characterem publicum Supremi Miniſtri, forte non ita pridem ad excelſam iſtam ſignificationem elevatum. Itaq; veluti cenſuram qvandam adnectere voluit: *Ut nunc* (i. e. ſtylo noviter recepto) *apud Francos res habet, neſcio an qvem ipſi Cancellarium dicunt, recte Præfectum Juris dicere poſſimus, voce etiam a Livio uſurpata.* Verum res aliter cecidit, & hodieq; Cancellarii Franciæ ſplendidisſimo hoc titulo gaudent, penes qvos legum dictandarum pro Principe, & Reſcriptorum ad preces ſupplicum jus; teſte Jacobo

noſtro,

noſtro, ad *L. 8. C. Theod. de Jure Fiſci, Tom. III.* Ceterum qvod Idem ille ad *L. 3. C. Theod. de Aſſeſſ. & Domeſt. & Cancell.* obſervavit, inter priſcos illos præeminuiſſe unum dignitate, qvi *πρωτοκαγκελλάριος* dicebatur Conſtantino Porphyrogennetæ Nov. X. exigui honoris atq; prærogativæ putandum eſt. Nam ipſa illa Novella oſtendit, protocancellarium præferri nonniſi *δυσὶ νοταρίοις*, duobus notariis, ſerviiſſe autem conjunctim *τῷ κοιαίστωρι, qvæſtori* in aperiendis teſtamentis. Hos judices appellat nunc *κριτὰς μαθηματικοὺς, Nov. IX.* nunc *δικαστὰς πολιτικούς. Nov. VII.* qvas Jo. Meurſius edidit.

Atqvi nec per Carolum M. accepit hic titulus tantam amplitudinem; qvod tamen Gulielmo Budæo, forte in honorem gentis ſuæ, viſum fuit. *Annot. prior. p. 296.* Eſto enim Stephanum qvendam Cancellarium diplomati regio à Ludovico Craſſo indulto, ſubſcripſiſſe anno M CXI. non conficitur hinc, qvod debebat. Et præſtabat adduxiſſe vel unicum illud capitulare Caroli M. XXIV. Libro II. p. 35. b. *Volumus etiam, ut capitula, qvæ nunc & alio tempore, conſultu fidelium noſtrorum, a nobis conſtituta ſunt, a Cancellario noſtro Archiepiſcopi & Comites eorum de propriis civitatibus accipiant. -- Cancellarius tamen noſter nomina Epiſcoporum & Comitum, qvi ea accipere curaverint, notet.* Addo capitulare XLIII. libri III. p. 50. *Si qvis per chartam ingenuus dimiſſus fuerit, primum legitimum auctorem ſuæ libertatis proferat, & in ſua libertate perſeveret. -- Si vero teſtes defuerint, cum duabus aliis chartis, qvæ ejusdem Cancellarii manu firmatæ ſint, vel ſcriptæ, cujuscunq; fuerint, ſuam chartam, qvæ tertia eſt, veram & legitimam eſſe confirmet. CANCELLARIUS TAMEN TALIS ESSE DEBET, QVI PAGENSIBUS LOCI ILLIUS NOTUS FUISSET & ACCEPTUS.* Utiq; dicendum eſt, Carolum M. habuiſſe Cancellarios, nec ſtantes in Prætorio, nec ſuarios, nec qvi ſub formidine qvæſtionis ſervirent in pro-

 vinciis,

Digitized by Google

vinciis, de qvibus ſupra. Sublimior eſt apex, de qvo qværimus. Dabo etiam, diplomati alicui antiqvo verba hæc, qvæ urget Budæus, addita fuiſſe: *Gauzelinus notator vice Rogerii Archiepiſcopi ſummiq; Cancellarii recognovit*: extat totum hoc in Balderici Chronico L. 1. c. 67. p. 108. & eſt Caroli Simplicis, non Magni. Nondum tamen concludas, ſummum illius temporis Cancellarium paria feciſſe cum noſtro, de qvo agimus charactere. Summus enim vocabatur ratione notariorum inferiorum.

Henricus Spelmannus Gloſſar. fol. 126. & Autor Anonymus Gloſſarii, qvod præmittitur Capitularibus Caroli M. adducunt verba Hincmari, ex illius Epiſt. 3. c. 16. *Apocriſiario ſociabatur ſummus Cancellarius, qvi a ſecretis olim appellabatur.* Olim qvi ſecretarius, hic ſummus Cancellarius. Et adjecta rem uberrime declarant: *Erantq; illi ſubjecti prudentes & intelligentes ac fideles viri, qvi præcepta Regia, absq; immoderata cupiditatis venalitate ſcriberent, & ſecreta illis fideliter cuſtodirent.* Hoc eſt, ſummus dicebatur, facta comparatione cum amanuenſibus hiſce. Et qvandoqvidem hi non ſufficiebant, tradere tenebatur Decreta & ſanctiones regias Archiepiſcopis, & Epiſcopis iterum transſcribenda, & in ſuis Comitatibus coram omnibus relegenda, ut cunctis innoteſcerent. *d. c. 24. libr. II.* Recte colligit inde Spelmannus, parvam Hincmari ævo, qvi ſub Carolo M. & Ludovico Pio floruit, adhuc videri in aula Francorum muneris iſtius amplitudinem; dum parte una fungeretur Apocriſiarius, aliâ Comes palatii: Cancellario ipſo vix qvidqvam præterea tunc curante, qvam chartas Regias. Sigillum enim nondum aſſeqvutus erat. Ubi Spelmannus coram oculis videri qveat habuiſſe ipſum illud capitulare XLIII. libri III. qvod præmiſimus. Attamen in eo fallitur, qvod arbitretur, Caſſiodori ævo majorem hujus muneris amplitudinem extitiſſe in Imperio, qvam

Hinc-

Hincmari ævo inter Francos. Caſſiodori enim verba plus a figura dictionis qvam re ipſa habere, vidimus.

Anonymus ille auctor Gloſſarii ex capitulari 158. Libri I. voluit præterea concludere, cancellarium iſtis temporibus ſolas ſcripſiſſe chartas: *Ut nullus presbyter chartas ſcribat, nec conductor ſui ſenioris exiſtat.* Seqvuntur apud eundem verba qvædam ex vita beati Ausberti: *cœpit eſſe aulicus ſcriba, doctus, conditorq; regalium privilegiorum, & gerulus annuli regalis, qvo eadem ſignabantur privilegia.* Omnia caderent in Cancellarium, ſed *aulicus ſcriba* vehementer reſiſtit. Videas tamen, etiam ſcribas illos nominari doctos, & conditores privilegiorum, imo geſtatores & cuſtodes annuli regalis: qvi certe apud Carolum M. remanebat. Monachus Egolismenſis, *in Vita Ejus p. 15.* Plura loca, ubi vox Cancellarii in Legibus Ripuar. Langobard. atq; alibi occurrat, protulit Ger. Jo. Voſſius *de Vitiis Sermon. & var. Gloſſ. Latino-Barbar. Lib. II. c. III. p. 369.* At vero nihil inde præcipui exſculpi credidit. Sed & Ulr. Obrechtus Prodromo Rerum Alſaticar. Vol. I. c. XII. recitat Diplomata Ludovici Germanici & Lotharii II. ſatis antiqva & integra, ubi ſubſcriptum: *Helarhardus cancellarius ad vicem Luitberti Archicapellani recognovi*, anno DCCCLXXIII. p. 293. Rurſus: *Ego Thietmarus Regis Notarius, vicem Adelberti Archicapellani recognovi*, Anno MCXXIX. p. 299. Numne igitur Archicapellanus ille hodie eadem gaudet prærogativa? Ita Eginhardus Archicapellanus & notarius Caroli M. in Chron. Lauriſham. cui jungo Chron. Slavor. Helmold. 1. 79. Senſim autem crevit auctoritas. Sic apud eundem Obrechtum ſub Philippo, Seculo XIII. inchoante: *Ego Conradus Ratisbonenſis Epiſcopus & Regalis Aulæ Cancellarius recognovi.* p. 302. Petrus Gregorius contra provocare auſus eſt ad aliud capitulare Lotharii, qvod eſt apud Goldaſtum Tom. III. fol. 269. *Ut nullus cancella-*

Digitized by Google

cellarius pro ullo judicato aut ſcripto, aliqvid amplius accipere valeat, qvam dimidiam libram argenti de Majoribus ſcriptis. Syntagm. Jur. Lib. 47. c. 29. fol. 721. Ubi copioſa deſcriptio, ſecundum ordinem temporum, Aulæ & Cancellariæ Gallicanæ. Lubet inde pauca decerpere. *Statutum, ne adyta Cancellariæ ingrediantur eoq; accedant loco, qvo ſigilla cuſtodiuntur, famuli, litigantes, pragmatici, aut alii, qvam Magiſtri reqveſtarum, Curiæ ſupremæ Senatores, Secretarii, & qvi pro miniſterio exiguntur neceſſarii*, ſcilicet ex conſtit. Ludov. XII. In Conſtitutione Caroli IIX. art. 65. vetatur, *ne Secretarii referant, vel conſultent codicillos, ſed ſubſcribant, prius tamen conſultatos ab uno ex referendariis, qvi in cauda illorum ſcribant nomen ſuum*, fol. 724. n. 26.

E Gallia revertamur in Imperium. Occurritq; memorabilis membrana Caroli M. qvi nondum erat tunc Imperator renunciatus, apud Abbatem Stadenſem: *Hildibaldus Archi-EpiſcopusColonienſis & ſacri Palatii Capellanus recognovi*: ann. 788. fol. 194. Tecte adhuc officium Cancellarii Clericus hic exercuit. Nec diſputabo, an aliqva hic contraventio contra capitulare 158. libr. I. lateat. Fruſtra hoc fieret; qvum ſecutis temporibus Carolinorum utrumq; munus publico actu, ac fere indivulſo coaluerit. Ubi non negem, excuſari morem illum potuiſſe qvodammodo genio ſeculi, qvo cultura Legum Romanarum exulabat in Germania, reliqvarum autem literarum facultas clauſtris monachorum obſeſſa erat. Ergo eundum erat ad Clerum. Hi qvum Qvæſtores Sacri Palatii vocari nollent, qvi olim vetere Imperio character hujus faſtigii fuerat, temperamentum in vocabulo humili qvæſivere. Hinc notarii, hinc ſecretarii, ac cancellarii, citra faſtum videbantur poſſe dici, cum omnia iſta vocabula priſcis temporibus tantum non infimæ dignitatis munia fuiſſent, atq;

atq; adeo citra omnem invidiam a Clero poſſent reſuſçitari. Si enim ſervum ſervorum ſe diceret caput Eccleſiæ, neminem ægre laturum, ſi abjectus olim cancellariorum ſtatus paulatim in Eccleſia reviviſceret. Imo in ipſo Hieronymo extare exemplum totius rei valde luculentum: qvi fateatur, *ſe Damaſum I. Romanæ Urbis Epiſcopum juvaſſe in chartis eccleſiaſticis, & Orientis atq; Occidentis ſynodicis conſultationibus reſpondiſſe.* Epiſtola ad Gerontiam, fol. 92. n. 8. Et miror, Henricum etiam Spelmannum Anglum crediſiſſe, ſeculo qvarto Hieronymum plane Cancellarii munere tunc functum; nomine illo licet noluerit innoteſcere. Nam ſeculo tertio exeunte Carinus cancellariis ſuis primum neſcio qvam perſonam impoſuerat. Certe Flavius Vopiſcus aliqvid fœdi in iſto genere deprehendit. Jam eſto, Hieronymum Ordinis ſuarii apud Romanos non fuiſſe imperitum, neutrum certe hominum genus potuit ſibi ad imitandum vel affectandum proponere. Omittitur autem: *ante annos plurimos* id ab eo factum, atq; adeo à juvene, & nondum per integrum triennium fuiſſe Romæ, teſtante ipſo in Epiſtola ad Aſellam f. 720. Qvum igitur Damaſo Epiſcopo eſſet ab epiſtolis, utiq; longe honoratior hæc Hieronymo fuit ſtatio, qvam ſi illum Pſeudo-Cancellarium qvendam ſeculi qvarti appellaveris. Nec licuerit nobis, omnes Clericorum conſultationes ſacras confundere cum officiis ſecularibus Principum. Dic potius, Hieronymum fuiſſe apud Damaſum Qvæſtorem Sacri Palatii. Et videbis, qvid ad hæc ſit reſponſurus. Extat Epiſtola Damaſi ad Hieronymum fol. 765. ubi notanter: *Epiſtolas tuas tota aviditate legi atq; DESCRIPSI.-- Neq; vero ullam puto digniorem confabulationem fore, qvam ſi de ſcripturis ego interrogem, tu reſpondeas.* Ecce cancellarium. Poſtqvam vero abolita plane eſſet fœditas illa tot ſeculorum lapſu, ita ut novum omnino vqca-

vocabulum videretur procuſum, mirum non eſt utiqve, certaſſe Politicos cum Epiſcopis, & qvando nuſpiam ſupereſſet aliqvis Hieronymus, gloriam nominis hujus, in qvo ſibi omnes tantopere complacerent, ad ſe mutuis ſtudiis atq; enixa æmulatione traxiſſe. Illud addendum de Hieronymo, qvod ibi annotavit Eraſmus, ad verba: *ante annos plurimos) ex hoc loco apparet, divum Hieronymum aliqvando Damaſo a ſacris libellis fuiſſe, qvem nunc ſecretarium vocant, in his qvæ pertinent ad conſultationes ſynodicas.* fol. 98.

Itaq; parum nos moveat, qvod ſcripſit Decanus Monaſterienſis, Bernardus a Mallinckrot lib. 2. c. 5. p. 198. *parum abeſt qvin credam, S. Hieronymum Damaſi I. Papæ Cancellarium fuiſſe.* Nervus probationis in hoc conſiſtit: *qvem in ſcribendis eccleſiaſticis epiſtolis adjuviſſe, vitæ Scriptores non reticent, ac ipſemet ſanctus vir alicubi fatetur.* Videtur Mallinckrotus legiſſe Eraſmi Vitam Hieronymi, locum epiſtolæ ipſius autem non evolviſſe. Nam idem Eraſmus eadem fere habet de altera qvæſtione, an Hieronymus fuerit Romanæ Eccleſiæ Cardinalis? Jam ultro largitur: *niſi qvod iſto ævo* (Damaſi I. ſcilicet) *tam Cancellarii qvam Cardinalis appellatio necdum videatur uſu recepta fuiſſe.* p. 199. Neqve tamen vel ſic ſibi conſtat. Nam poſt pauca: *ac ſuſpicari libet, ſub Leone IX. aut verius Clemente II. aut Damaſo II. (certe Petrus Diaconus ſub hoc poſteriori Cancellariatum obiiſſe reperitur) primitus introductum fuiſſe cancellarii nomen.* Coinciderent hæc omnia in ſeculum undecimum, Hieronymus autem in qvartum. Ceterum neq; Petrus Diaconus obiit Cancellariatum ſub Damaſo II. Vixit enim Petrus Diaconus ſeculo XIII. ſub Honorio III. & Innocentio III. claruit autem in aula potius Lotharii II. qvam Pontificis. Ab illo fuit ſecretis adhibitus, & Romani imperii, ceu loqvitur Caveus, Capellanus, qvin etiam Logotheta factus;

qvi

qvitamen ſtatim addit: *exceptor & auditor ejusdem conſtitutus*, fol. 462. Qva ratione ſingula hæc in unum competant, non inqviro. Sane nihil de omnibus Ger. Jo. Voſſius, de Hiſt. Lat. lib. 2. c. 49. p. 409. Provocat mox Mallinckrotus ad Bullam Leonis IX. (qvam ipſe viderit,) ubi Hermannum II. Colonienſem, S. Rom. Eccleſiæ Archi-Cancellarium creavit. Ita vero recurrimus ad ſeculum XI. Sed qvomodo alibi affirmare potuit idem ſcriptor, S. Cunibertum circa annum DCXXXIIX. omnium primum prædicato Archi-Cancellarii in Germania uſum, regnante Dagoberto? p. 122. Provocat enim ad Donationem regiam, cujus ſubſcriptio ita habeat: *Anſo Cancellarius, vice Cuniberti Archicancellarii recognovit*. Haberemus teſtimonium ſatis memorabile. Et fatendum eſt, Cunibertum aliqvem fuiſſe a conſiliis Dagoberto poſt mortem Arnulfi, præſulis Metenſis. Aimoinus de geſtis Francorum Lib. IV. c. XIX. p. 341. *At vero poſt diſceſſum præfati antiſtitis*, Arnulfi, *conſiliis Pipini & Chuniberti, urbis Coloniæ præſulis, obaudiens* Dagobertus, *ſuggerentibus eis æqvitati ac juſtitiæ operam dabat*. Memoratur præterea c. XX. qvidam alius, *Ega* nomine, *in conſilii ſalubritate & in principis haud diſſimilis familiaritate. Is erat ex Neuſtria, non mediocri præditus potentia*. Hunc *conſiliarium* Regis appellat Hiſtoricus c. XXXIII. p. 364. Sic c. XXXV. p. 367. Ega Conſiliarius dicitur palatium cum regno, defuncto Dagoberto gubernaſſe. Plane is *præfectus palatii* Regis Clodovei, c. XXXVII. p. 369. Et poſt illius diſceſſum Erchinoaldus, *major domus* in Neuſtria conſtitutus. Nihil autem de cancellariatu Chuniberti. Alium nobis, ſed Deſiderii, ultimi Longobardorum regis, Cancellarium octavi ſeculi ſiſtit Voſſius Lib. 2. c. XXX. Paulum Diaconum. p. 290. 291. Qvandoqvidem tamen dubium adhuc eſt, annon *atrienſis* fuerit, de qvibus ſupra, mittamus tantisper: qvum

 cer-

Digitized by Google

certum ſit, poſt exceſſum Caroli M. demum cœpiſſe totum iſtud inventum, gradibus etiam adhuc qvibusdam ſervatis. Nam præceptum immunitatis a Ludovico Pio datum Eccleſiæ Cameracenſi ita ſubſcriptum Baldericus profert in Chronico Lib. I. c. XXXVII. p. 65. *Ego Durandus Diaconus ad vicem Heliſacharii recognovi. Amen.* Neuter adhuc hic appellatur Cancellarius. Sic Caroli Simplicis reſtauratio ejusdem Eccleſiæ apud eundem c. LXVI. p. 107. ita finit: *Hugo regiæ dignitatis notarius ad vicem Herivei Archiepiſcopi ſubnotavit.* Et tamen ſub eodem Carolo Simplice Gauzelinus, ille notator, *Archiepiſcopum ſuum Summi* cancellarii titulo ſalutare non dubitabat. d. c. 67. p. 110. Sub Arnulpho acceſſit alia novatio c. LXII. p. 103. *Wichingus cancellarius ad vicem Theotmari archicapellani recognovi.* Eundem ſtylum retinuit Otto I. c. LXXII. p. 117. & c. LXXVI. p. 129. duabus vicibus: *Brun cancellarius ad vicem Rotberti Archicapellani recognovi.* Jam Otto III. c. 107. p. 192. *Hildebaldus Epiſcopus & cancellarius vice Willigis Archiepiſcopi recognovi.* Similiter c. 108. p. 193. & c. 112. p. 102. Originalia horum vidiſſe ſe teſtatus eſt in Notis Georgius Colvenerius p. 446. adjecitq; de ſuo Diploma Henrici Sancti de anno 1007. ad cap. 119. p. 495. *Eberhurelus cancellarius vice Willigiſi Archicapellani recogn.* H. Conringius dedit Diploma integrum Ludovici Germanici in appendice Cenſuræ Diplomatis Ludovic. p. 363. cujus ſubſcriptio plane ignorat adhuc manum alicujus cancellarii: *comeutus Notarius ad vicem Radleici recognovi.* Viciſſim ejusdem aliud, qvod poſt ſexennium ſecutum, p. 369. *Hadedeus ſubdiaconus ad vicem Wiegarii cancellarii recognovi.* Atq; id nunqvam antea fuit editum. De Carolo Craſſo anno 888. ibidem p. 371. *Segoinus notarius ad vicem Luitwardi Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.* Jam de Ottone M. apud Henr. Meibomium Chron. Berg. anno 963. p. 3. *Poppo cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recognovi.*

gnovi. Ita congruit hæc ſubſcriptio cum præcedentibus e Chronico Balderici. Plura ſuggerit Diplomata Idem Meibomius ad Witichindum fol. 115. ſqq. Sed tria ibi video, qvorum aucta eſt ſubſcriptio & variat: anno 963. fol. 124. *Luitgerius cancellarius ad vicem Vidonis Episcopi & Archicancellarii recognovi.* Anno 966. fol. 127. *Ludolfus cancellarius ad vicem Wilhelmi archicancellarii recognovi.* Anno 967. fol. 128. *Ambroſius cancellarius ad vicem Humberti Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſcripſi.* Conſtitit hæc ratio ſeculo etiam XI. Nam Diploma Hirſaugienſe Henrici IV. ita habet: *Adelbero cancellarius vice Sigefridi Archicancellarii recognovi.* Docum. Würtenberg. Monaſter. p. 519.

Poterat hæc tam prolixa enarratio plane inanis & tædioſa videri; quæ tamen perutilis fuerit ac plane neceſſaria. Nam ſi qvis qværat, ubinam ergo collocanda ſit prima & hæreditaria fundatio trium Archi-Cancellariorum Imperii, Moguntini, Trevirenſis, Colonienſis? reſpondebo, in omnibus illis Diplomatibus, addo, & Capitularibus, qvæ hactenus vidimus, difficulter veſtigia tantæ rei deprehendi. Modeſtius autem non potero cauſam tractare, qvam ſi fatear, me qvidem id nondum cernere. Non qvod neſciam, qvid ex Hincmaro afferat Lehmannus L. 2. c. 7. ſed qvod omnia illa pondus nullum habeant, in re tanti momenti. *Sicut hoc regnum ex pluribus regionibus conſtat, ita ex diverſis etiam eisdem regionibus aut in primo aut in ſecundo aut etiam in qvolibet loco, iidem miniſtri fuerunt eligendi, ut eo familiarius qvæqꝫ regiones palatium adire poſſent, dum ſuæ genealogiæ vel regionis conſortes in palatio locum tenere cognoſcerent. In primo loco, i. e. in apocriſiarii & comitis palatii; in ſecundo, i. e. in miniſterialium; in tertio, i. e. in qvorumlibet miniſtrorum.* Hoccine eſt clavem nobis porrigere ad penetrationem tanti myſterii de triplici jure Archi-Cancellaria-

cellariatus, in tribus illis Eccleſiis? niſi qvod ſecundus & tertius fere coaluit in primum. Pergunt, totum hoc inſtitutum referendum ad Carolum M. qvi curam Imperii etiam Epiſcopis Germaniæ magnam partem commiſerit. Iterum qværo, an infelicitas temporum, in qvæ ille incidit, ſit perpetuum & hereditarium fundamentum triplicis illius Juris? Ubi tamen ſi qvis ad recentiores Bullas provocare contendat, nemo non videt, nos in antiqvis verſari, & neqve cum Bullis iis, neq; cum Archiepiſcopis ipſis pugnare, ſed cum ſcriptoribus, qvi ultro ad tempora antiqviora progrediuntur, omnibus tamen probationum argumentis circa jura Archicancellariatuum deſtituti.

Unicum eſt, qvod crepant: *Reges Francorum ſolitos habere ſecum in prœliis cappam S. Martini, ob adjutorium victoriæ;* (Lehman. c. 8.) *qvam qvia ferre & cuſtodire cum ceteris Sanctorum reliqviis, Clericorum erat, Capellani ceperunt vocari.* Aut ſi hoc diſplicet, *Capellam* ajunt *olim fuiſſe miniſterium eccleſiaſticum, & ideo miniſtros imperii electos a longo tempore fuiſſe ex illa Capella.* Nonne idem per idem hic diſputatur? Atqvi Gallia nunqvam eo perduci potuit, ut ſive cappæ S. Martini, ſive cuicunqve capellæ tantum tribueret. Diploma anni 774. ſi eam habet, qvam habere dicunt d. l. c. 7. ſubſcriptionem: *Amelbertus Cancellarius ad vicem Luperti archicancellarii recognovi:* utiqve eſt pervetuſtum, & ad tempora Caroli M. aſpirans.

Et hic jam prodit ſe uſus Diplomatum. At enimvero harmonia illorum fortiter reſiſtit huic allegationi, atqve omnem fidem convellit, vocem archicancellarii a Carolo noſtro tunc eſſe uſurpatam. Nam & ſeculo Ottonum intimus ac primus ſecretarius erat, qvem noſtra ætas vocat Cancellarium; teſte Cranzio Metrop. L. 3. c. 16. fol. 68. Et fru-

ſtra

ſtra, Carolum M. anno ipſo 740. Luirwardum Epiſcopum Vercellenſem appellaſſe *fidelem regis archicancellarium* in Documento qvodã monaſterii Gengenbacenſis, ibidem perhibent. Scilicet anno illo Carolus noſter nondum natus. Carolus autem Martellus ignarus perinde iſtius allocutionis. Neq; vero qvaliscunq; tandem vocabuli ratio qvidqvam ad ſum̃am tantæ cauſæ conferre poterit. Tale eſt vocabulum *commentarienſis Imperii*: qvod qvia ajunt ſe reperire in vita Ludovici Pii de Archanbaudo aliqvo, gaudent Archicancellarium noſtro ævo ſimilem eo involvi. Pudet ineptiarum in re ſeria.

An Onuphrius Panvinius acutior fuerit, non dijudico. Certe deſeruit iſtam antiqvitatis ſpeciem, & circa tempora Ottonis primi deſcendit: Se enim ex ipſorum Imperatorum privilegiis vel diplomatibus publicis obſervaſſe, inſtitutionem horum Cancellariorum Imperii circa iſtam periodum exortam. Qvam velim ea exhibita lectoribus eſſe. *de Comitiis c. VI. n. 29. ſeqq.* Videturq; Limnæus Tom. I. addit. p. 332. hic acqvieſcere. Nam & in loco Flavii Vopiſci de Carino, atq; in toto argumento, etiam in Notitia regni Franciæ, vix ea attulit, qvæ debebat. Conformitas autem curiæ Ottonum oſtenſa eſt in Diplomatibus ſupra recenſitis. Eundum ergo ad tempora recentiora: ubi Conſtitutio Friderici I. de Ducatu Auſtriæ anno 1156. ita eſt ſubſcripta: *Ego Reinaldus cancellarius vice Arnoldi Moguntini Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovi:* inter Diplomata Aeneæ Sylvio adjecta fol. 3. Porro Diploma ejusdem Friderici I. datum Epiſcopo Torcellenſi prope Venetias anno 1177. *Ego Godefridus cancellarius vice Philippi Colonienſis Archiepiſcopi & Italici Regni Archicancellarii recognovi.* Prodromo *Codicis Jur. Gent. diplomat. fol. 3.* Confirmatio fundationis ejusdem Friderici I. data monaſterio Adelbergenſi anno 1181. ita finit: *Ego Gotefridus Cancellarius Imperialis aulæ*

vice Chriſtiani Maguntini Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovi. Docum Monaſt. Würtenberg. *p. 5.* Pene omiſeram confirmationem fundationis Henrici V. datam Monaſterio Alpirſpacenſi anno 1123. *Philippus Cancellarius recognovi vice Adelberti Mogontini Archicancellarii.* Ibid. *p. 250.* Jam Conradi III. confirmatio fundationis Monaſterii Denckhendorffenſis anno 1139. *Ego Arnoldus Cancellarius vice Adelberti Magontini Archicancellarii recognovi.* Ibid. *p. 452.* Ac denuo Friderici I. confirmatio Fundationis Monaſterii Laureacenſis anno 1154. *Ego - - - - Cancellarius vice Archicancellarii recognovi.* ibid. p. 725. Plura nunc qvidem non poſtulat diſſertatio hæc epiſtolaris, propemodum effuſa magis qvam culta. Dicendum eſt, per conſenſum Eccleſiarum Germanicarum cum Romana rem totam actam fuiſſe. Sic enim Honorius in Confirmatione Monaſterii Anhuſani anno 1125. *Datum Laterani per manum Aimerici Sancta Rom. Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & cancellarii*, ibid. p. 328. Ac ne nimius ſim, peculiarem ecce ſubſcriptionem Cæleſtini II. datam eidem monaſterio anno 1143. *Dat. Lat. per manum Gerardi Sancte Romane Eccleſie Presbyteri cardinalis ac Bibliothecarii.* Nam & Bibliothecarium Romanum tunc volunt æqvipollere Cancellario. ibid. p. 335. . Tunc igitur nondum obtinuit, qvod ait Lælius Zecchius de Republ. Eccleſ. Tract. de Prælat. in ſpec. c. 4. p. 157. *cancellariæ officium habet præpoſitum cardinalem, qvi Vice-cancellarius dicitur, & tenet ſceptrum Juſtitiæ: - - qvia Papa ſolus eſt cancellarius in Eccleſia Dei.* Hic ego, ſi vera dixit Bodinus, tacendo expendam: *Se XXX. regni Galliæ Cancellarios ex antiqvitatibus commemorare poſſe, qvi in cardinalium cœtum aut in collegium Pontificum fuerint cooptati; magno profecto argumento id actum, ut ſibi devinctiſſimos eorum redderent Cancellarios, qvos e clero habebant. Sed poſterioris ætatis prudentiam, qvam periculoſum illud Reip. eſſet, pervidiſſe, ideoq; ad civi-*

civilem ordinem ſummam dignitatem regni ſui deduxiſſe. Et fatetur hoc ſuo modo Mallinkrotus p. 208. mox tamen ſtringit Bodinum p. 209. preſſo nomine. Illa poſterioris ætatis prudentia nondum plane effoeta eſt, ut non laudabiles ſubinde effectus apud Germanos qveat elicere.

Perplacet autem, H. Conringium Opere de Finibus Imperii, etiamſi hoc argumentum non exeqvatur, obiter tamen meminiſſe Friderici noſtri, qvodq; is Archi-Cancellariatum regni Burgundici commiſerit Archiepiſcopo Viennenſi, tabulis anno 1151. & 1176. exaratis. Ibi: *& quia Princeps conſilii noſtri & Archicancellarius in regno Burgundiæ, & primus in aula regali, & in adminiſtratione Reipublicæ, cæteris excellentiori dignitate præpolleat*. L. I. c. XIII. p. 188. Nihil hic vel de cappa S. Martini, vel de capellano. Ibidem affertur locus Radevici, de comitiis anni 1157. *Deniq; Stephanus Viennenſis Archiepiſcopus & Archicancellarius de Burgundia -- tunc ad curiam venientes Friderico fidelitatem fecerunt atq; hominium*. p. 184. 185. Imprimis porro nobiles advocantur tabulæ Friderici II. qvibus anno 1214. Viennenſi Archiepiſcopo ejusq; Succeſſoribus *ſacri palatii Archi Cancellariatus* (non capellani dignitas,) confertur. p. 191. In annotatis autem ad lib. 1. c. 4. monſtratur apographum vetuſtiſſimarũ tabularum integrarum Caroli M. de inſtitutione Epiſcopatus Vercellenſis, qvas Moguncienſis, Colonienſis & Trevirenſis Archiepiſcopi, Moguntiæ ſubſcripſerunt anno 786. citra notam Archicancellariorum. Solus enim Hildebaldus Colonienſis ſe ſimul *capellanum Sacri palatii*, non Archicapellanum, multo minus Archicancellarium profitetur. p. 17. Similis ſubſcriptio de anno 788. eſt apud Goldaſt. Tom. 3. fol. 137. Supponit autem Mallinckrotus toties, capellanum & cancellarium perinde dici. Moguntinum etiam per aliqvot ſecula in genere Archicapellanum ſive Archica-

Digitized by Google

chicancellarium in ſubſcriptionibus diplomatum Imperialium vocari. p. 37. Et tamen ſub Friderico I. vel certe Henrico VI. filio, primum *Archicancellarium per Germaniam* dici ſcribiq; cœpiſſe. De Colonienſi idem teſtatur p. 38. ac deniq; de Trevirenſi p. 43. Qvomodo igitur cohærent hæc cum his: *cum ipſo Germanico Imperio apud nos Archicancellariorum officium ac dignitatem, & iis ab initio ſtatim, qvi vices illorum obirent, eadem ratione ſuccenturiatos fuiſſe?* p. 48. Et ſicut idem nobis largitur, difficile eſſe affirmare de ſingulis diſtincte, *Cancellarii* an *Notarii* fuerint, d. p. 48. ita & in ceteris.

Qvibus poſitis, omnia illa a Chriſtophoro Gewoldo de Septemviratu cap. VI. allata exempla p. 693. ſeqq. non rimabimur. Neq; parem ubiq; fidem offendimus: & extantiora tetigimus jam ante. Jura Principum, & Comitum circa habendos Cancellarios, ſecundum ſeriem temporum excutere, æqve non vacat. Otium hic nobis fecit JC. Marpurgenſis, Kirchnerus, *Lib. 1. c. 4.* recenſens ſubſcriptiones Decretorum Imperialium. Ubi primum eſt Decretum Noricum, Anno 1142. promulgatum, a D. Matthia Raſthio, Cancellario Comitis Fürſtenbergii inter ceteros ſubſcriptum: qvi eodem titulo, ſeqvente Wormatienſi recurrat. p. 42. Juvatq; ſimul annotaſſe, hunc JC Kirchnerum à Decano illo Monaſterienſi diligenter paſſim laudari, cenſurasq; ipſius adverſus Clerum Romanum modeſtiſſimo exemplo ubiq; diſſimulari. Hactenus de Imperio.

De cancellariis apud Anglo Saxones refert Spelmannus, nomen illud vix cognitum fuiſſe uſq; ad ſeculum nonum. Deinde Edwardum Regem conſtituiſſe, ut qvæcunq; negotia Regis judiciũ expectarent, temporalia & ſpiritualia, omnia conſilio & decreto Cancellarii ſui tractarentur, & tractata irrefragabilem ſententiam ſortirentur. Hunc vero fuiſſe ſimul ſtre-

ſtrenuum bellatorem, & neq; capellanum vel aliam partem cleri. Poſtea diſpartitum eſſe id munus pluribus Clericis alternatim, ſeculo decimo, anno 976. ut Abbates viciſſim aſſignati, ſuccedendo temporibus, annum trifarie dividerent, cum ſanctuariis & ceteris ornamentis miniſtrando. Connecti hic igitur cœpiſſe munus Cancellarii & capellani Regis, nec deinceps i. e. tunc qvidem niſi raro disjungi. fol. 127. Cernere hic licet qvendam συγχρονισμὸν cum ſtatu rerum Germanicarum: & certum eſt, nunc aliter rem ſe habere. *Sed & alia ſignificatione*, pergit fol. 132. *celebris eſt Vice-Cancellarii appellatio in Academiis noſtris, de qvo infra in Vicecancellarius.* Decollavit ſpes iſta. Sic enim finit parte prima:

Jam mihi pars operis multo ſudore peracta,
Prima jacet: ſupereſt multo peragenda ſecunda:
Utq; viæ in medio fregit qvæ præterit ægrum,
Sic ea qvæ ſeqvitur, terret: pars ultima vitæ
Ultima nec videat timeo monumenta laboris.

Fuerat Spelmannus haud dubie annotaturus, Cancellariatum Academicum ut plurimum etiam ceſſiſſe Clericis, Epiſcopis puta & aliis Prælatis. Enumeratq; JC. Marpurgenſis Academias una plures l. 1. c. 4. & noſtram Saxonicam refert ad Epiſcopum Merſeburgenſem. p. 44. Addidit autem, cum hæc legeret Mallinkrot, fungi hoc honore alibi etiam inferiores Prælatos. Sic Witebergenſis Academiæ Cancellarium eſſe Præpoſitum Lichtenbergenſem. Lib. 2. c. 6. p. 211. Henricus etiam Meibomius in Oratione de Cancellariis Academicis, habita anno 1612. fol. 242. Tom. 3. Rer. German. eam ait cancellarium accepiſſe Præceptorem domus Pretinenſis S. Antonii prope Lichtenbergam ad Albim, (cujus rei nullum hodie veſtigium) Lipſenſem vero Epiſcopum Merſepurgenſem.

Digitized by Google

De Academia igitur Pragenſi cum nihil apud eos reperiam, juvat producere privilegium Innocentii VI. aut VII. Pontificis ineditum, de autoritate Rectoris, qvam ibi habet ut Cancellarius Univerſitatis in qvalibet Facultate:

" Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum DEI, ad fu-"turam rei memoriam, In apoſtolice dignitatis ſpecula li-"cet immeriti diſponente Dno conſtituti perſonis literarum "ſtudiis intendentibus, per qve divini nominis ac fidei catho-"lice cultus protenditur, juſtitia colitur, tam publica qvam "privata res geritur utiliter, omnisqve proſperitas humane "condicionis augetur, libenter favores generoſos impendi-"mus, ac oportune commoditatis auxilia liberaliter imperti-"mur. Sane peticio pro parte dilectorum filiorum univer-"ſorum doctorum & magiſtrorum, ac univerſitatis ſtudii "Pragenſis nobis nuper exhibita continebat, qvod licet illi qvi "proceſſu temporis in ea facultate, in qva ſtuduerunt, ſuffi-"cientes reperti fuerint, qviqve docendi licentiam, ſive ut "alios erudire valeant, & magiſterii honorem ſeu titulum ſi-"bi pecierint impertiri, per magiſtros illius facultatis, in qva "examinandi ſunt, Archiepiſcopo Pragenſi pro tempore ex-"iſtenti conſveverint præſentari, ipſeqve Archiepiſcopus, "magiſtris in facultate & univerſitate hujusmodi actu regen-"tibus, ad hoc convocatis, doctorandos & magiſtrandos hu-"jusmodi in hiis qve ad hoc reqviruntur, per ſe vel alium "juxta modum & conſvetudinem, qvi in aliis generalibus ſtu-"diis in ſimilibus obſervantur, diligenter examinare, ac eis ſi "ad hoc ſufficientes & ydonei reperti fuerint, ut profertur, "hujusmodi licentiam tribuere & honorem ſeu titulum con-"ferre magiſterialem, auctoritate Apoſtolica conſveverit, "Qvia tamen Archiepiſcopalem ſedem Pragenſem ſepe va-"care & propterea nonnunqvam diviſiones, controverſias, in-

truſio-

truſiones, ſeu alia impedimenta gravia, temporum & homi-"
num cauſante malitia, prorſus absq; culpa membrorum di-"
ĉte univerſitatis, ymo in eorum & ipſius univerſitatis non"
modicum præjudicium & gravamen, in eadem ſede ſubori-"
ri contingit, & hujusmodi intruſionibus controverſiis & im-"
pedimentis durantibus, licentia hujusmodi tribui & alia"
qve jam præmiſſa officio ipſius Archiepiſcopi pro tempore"
incumbunt, debite neqveunt impediri, Pro parte doctorum"
Magiſtrorum & Univerſitatis prediĉtorum nobis fuit humi-"
liter ſupplicatum, ut ne propterea univerſitas hujusmodi &"
tam laudabile ſtudium, qvod ibi vigere demonſtratur, ſive"
diſperſis ſtudentibus atq; membris, qvod abſit, paſſim defi-"
ciant in ſeipſis, ſuper hiis providere de oportuno remedio"
de benignitate apoſtolica dignaremur, Nos igitur hujus-"
modi ſupplicationibus inclinati volumus & præſenti conſti-"
tutione irrefragabili apoſtolica autoritate ſtatuimus ac eti-"
am ordinamus, ut qvandocunq; & qvocienscunq; prediĉtam"
Archiepiſcopalem ſedem vacare aut diviſiones controver-"
ſias ſive lites in eadem ſede ſeu intruſiones ad eandem, ut"
profertur, qvomodlibet fieri ſeu oriri, aut alia legitima im-"
pedimenta ſupervenire contigerit, ut profertur, Reĉtor"
prediĉte univerſitatis tunc exiſtens, vices prediĉti Archiepi-"
ſcopi in permiſſis omnibus & per omnia ſupplere gerere"
& exercere poſſit & debeat, cum poteſtate conferendi"
licenciam & honorem ſeu titulum magiſterialem, hiis qvi"
proceſſu temporis ſcientie margaritam in illa facultate"
in qva ſtuduerunt, aſſecuti, & bene meriti ac ſufficientes"
& ydonei reperti fuerint, ut profertur, eisqve con-"
cedendi doĉtoratus inſignia, nec non licentiam docendi ſive"
ut alios valeant erudire, Qvodq; idem Reĉtor juxta morem"
& conſvetudinem laudabiles qvi in aliis ſtudiis generalibus"

Digitized by Google

"in ſimilibus obſervantur, omnia alia, nichil de contingenti-"bus ommittendo, jam premiſſa qvomodolibet oportuna, ea-"dem auctoritate diſponere & ordinare libere & licite poſſit, "qve dictus Archiepiſcopus, ſi vacatio, diviſiones, controver-"ſiæ, lites, intruſiones & impedimenta hujusmodi non occur-"rerent, per ſe vel alium auctoritate predicta ſeu de jure vel "conſvetudine facere poſſet aut deberet, Nulli ergo omni-"no homini liceat hanc paginam noſtre conſtitutionis & "ordinationis infringere vel ei auſu temerario contraire, Si "qvis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem "omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum "ejus ſe noverit incurſurum, Datum Rome aput ſanctum "Petrum, Id. Januarii, Pontificatus noſtri anno primo.

Hæc qvidem ex codice antiqvarum membranarum MS. cui pulverm detrahere ac ſitum par fuerit. Jucundum autem cenſeri merito debet, retroſpicere veluti aliqvando ad primæ illius ac tenerioris ætatis delicias, a qvibus jam pridem avulſi, in alio theatro dudum qvotidie exercemur.

Ac TE qvidem, PER ILLUSTRIS DOMINE, Tuamq; ad excelſa genitam mentem, & cumulatiſſimi pectoris artes, ac promptiſſimas ingenii dotes, fati Tui ſollicitudo ſupra Jurisprudentiæ apices omnes, ad faſtigium majus foro & multo illuſtrius nunc extulit. Non poterat id non Pater Tuus, ævi ſui Pomponius qvidam Atticus, qvoties integram bonamqve indolem ex liberali facie, induſtriam ex intento opere, modeſtiam ad majora ſpirantem ex moribus æſtimaret, qvoties TE memorem omnis ſapientis inſtituti, obſervantem pulcri atq; decori, ſic ad libros Tuos qvaſi ad epulas paratum, vividum, velocem, elegantem, ac temet ipſum egregia laudis cupidine laceſſentem, atq; adeo vincentem intueretur, jam olim præſentiſcere, Teq; patriæ Tuæ præſidium futurum inter-

interpretari. Itaq; omnia iſta, qvæ nunc cernimus, non ex curioſis ſignorum calculis, ſed, qvod nobile demum vaticinandi genus eſt, ex ipſa virtutis Tuæ natura & erecti moris ſucceſſibus prænunciabat. Neq; enim tam anni Tui, & non tam honores, qvibus in aula Saxo-Numburgenſi jam diu cumulatus, qvam ipſa divinitas genii Tui ex uno Conſilio ſanctiore in aliud, æqve aut magis adhuc ſanctum viſa eſt hactenus feſtinare. *Summum eſt hoc honorum faſtigium,* (malo enim Gulielmum Budæum, Conſiliarium olim Regium & libellorum ſupplicum magiſtrum Gallicanum, Te alloqvi qvam me) *& qvoddam qvaſi ſumma qvæq; poſſidentis animi ſolſtitium. Proinde hunc, qvi norma eſt omnium jura reddentium, qvi in omni ferme parte conſtituendæ Reipublicæ Principis vicem implere creditur, cujus ore facundi Reges eſſe ſolent, cujus oculis velut emiſſitiis circumſpicere omnia ac perluſtrare creduntur, ne qvid usqvam ſubſultet non ſuo loco poſitum, hunc inqvam tot nominibus eximium, multiplicis ac variæ prudentiæ fiducia ſubnixum eſſe neceſſe eſt. Et hic magiſtratui, non ipſe magiſtratu, donatus videbitur: cujus vita cenſura ſit, ad qvam ceteri magiſtratus dirigantur, etiam ii, qvibus non tam imperio opus eſt qvam exemplo. Arduum ſane opus, & alioqvin etiam intractabile: ſeverum, & popularem eſſe: cœptis qvorundam, opibus atq; aulicis factionibus præpollentium, obſiſtere: Principem nonnunqvam demitigare, & molli articulo tractare. DURIOR EST ENIM SEMPER CONDITIO SPECTATÆ VIRTUTIS QVAM INCOGNITÆ.* Scrib. Dresdæ XXX. Decembr. cIↄ Iↄc IV.

ADDEN-

ADDENDA.

p. 5. *de Marcellino, continuatore Chronici Euſebiani*) Locus integer Casſidori ita habet: *Marcellinus Illyricianus adhuc patricii Juſtiniani fertur egiſſe cancellos, ſed meliore dictione devotus a tempore Theodoſii principis usq; ad fores imperii Juſtiniani opus ſuum perduxit: ut qvi ante fuit in obſeqvio ſuſcepto gratus, poſtea ipſius imperio copioſe amantiſſimus appareret.* Hic eſt ille Marcellinus Comes, qvem Juſtiniani adhuc patricii cancellos egiſſe, non repugnaret; ſi qvis reputet, dominos qvi literis operam darent, habuiſſe etiam in agmine ſervilis eruditionis vel inter libertos, qvi ipſis erant a ſtudiis & ſcriptores: qvales apud Svetonium & Ciceronem, qvorum loca illuſtrat Laur. Pignorius *p. 114. 115.* At Marcellinus noſter fuit illuſtri loco natus, deinde Senator (notante Nic. Alemaño ad Procop. *Hiſt. arcan. fol. 13.*) conjux Juſtiniani ſororis filiæ. De Patriciatu tamen Juſtiniani non extant annales: neq; ad eos provocat Caſſiodorus, ſed ad incertos rumores: *fertur egiſſe cancellos.* Ex his autem nemo Cancellarium Imperatoris Juſtiniani exſculpſerit; qvod fecit tamen Aubertus Miræus in Auctario de ſcriptoribus Eccleſiaſticis c. 140. p. 207. *Marcellinus Comes Illyricianus, Juſtiniani Imp. Cancellarius, à Caſſiodoro laudatus.* Cautior Ger. Jo. Voſſius de Hiſtoricis Latinis L. 2. c. 19. p. 239. *Marcellinus Comes Illyricianus, qvi cancellos egit Juſtiniani etiamnum patricii.* Et tamen Gul. Caveus Hiſtor. Literar. fol. 287. *Marcellinus, V. C. Comes Illyricianus, Juſtiniani Imp. adhuc Patricii Cancellarius.* Qvæ facile deceperint lectorem minus attentum. Joſephus Scaliger, Dionyſius Petavius, Pagi, eum ſæpius Marcellinum Comitem, abjectis reliqvis appellant, in operibus chronologicis paſſim; plane ſecuti auctorem ipſum: *Ego vero Vir Clariſſimus,*

Mar-

Digitized by Google

Marcellinus Comes. -- *Hi ſunt ſimul anni CLVI. meoq; ruſtico operi ſuppoſiti.* Atqvi ne Tribonianum qvidem Cancellarium Juſtiniani dici conſtat. Et de iſto ævo præterea Procopius Cæſarienſis fol. 71. ἦν δέ τις Ἰουστινιανῷ ἐπιστολογράφος Πρίσκος ὀνόματι, *Erat Juſtiniano ab epiſtolis Priſcus qvidam.* Qvæ recte ex Theophane exponit Alemannus fol. 82. Πρίσκος ὕπατος ἀπὸ νοταρίων τοῦ βασιλέως. *Priſcus Conſul, & olim notarius Imperatoris.* Idem tamen neſcio qvomodo fol. 44. Marcellinum noſtrum appellavit abſolute *Juſtiniani cancellarium.* Simili abuſu Mæcenas qvibusdam Cancellarius ipſius Auguſti. Ergo & Agrippa Cancellarius. De utroq; enim Dio Caſſius lib. LI. fol. 509. καὶ διὰ τοῦτο καὶ δακτύλιον ἔλαβον παρ' αὐτοῦ, ἵνα ἀποσφραγίζεσθαι τὰς ἐπιστολὰς ἔχωσι, *cujus rei cauſa annulum qvoq; ab eo acceperant, ut obſignare poſſent epiſtolas, qvas ipſe ad ſenatum aliosq; ſcriberet, ac legere anteqvam redderentur.* Fecit id autem Auguſtus tantisper, proficiſcens tunc in Orientem. Et innuere magnum characterem illum viſus eſt Horatius etiam Pancirollo *de rebus deperd.* part. I. Tit. 58. p. 315. ita, ut Horatius fuerit in numero ſcribarum, qvorum munus, acta publica literis mandare, & literas publicas perſcribere. Dion. Lambinus ad lib. 2. Satyr. 6. p. 207.

Imprimat his cura Mæcenas ſigna tabellis.
Dixeris, experiar? ſi vis, potes, addit & inſtat.

Agathias Advocatus Lib. 3. p. 85. εἷς τῶν ἀμφὶ τὰ βασίλεια δορυφόρων, οὓς δὴ σκρίβωνας ὀνομάζουσιν, *unus e regiis ſatellitibus, qvos ſcribonas vocant.*

p. 6. tertius locus Caſſiodori depromitur ex libro XI. form. 6.) Cum in hunc locum Caſſiodori incidiſſet Carolus du Fresne, *ex qvibus,* inqvit, *patet, cancellarios dictos qvod ad cancellos judicum ſtarent, eorumq; juſſa ac mandata exeqverentur, proindeq; eosdem fuiſſe qvodammodo oſtiarios.* Nollem hæc excidiſſe,

diſſe. Tom. I. Gloſſar. fol. 734. Oſtiarios vocabant tunc *Sajones* vel *Sagiones*, de qvibus Caſſiodorus Lib. XII. c. 3. p. 745. Qvumq; hi ſolenni more deputarentur ſolatiis cancellariorum, utiq; non fuere ipſimet cancellarii. Jam de apparitoribus hunc locum etiam du Fresnius intellexit Tom. III. fol. 678. Perperam ergo Tom. I. eosdem cum cancellariis ævi Caſſiodori permiſcuit. Pergitq; ulterius: *Qva certe notione cancellarius accipi videtur in Inſcriptione apud Gruterum 646. 6.* De mente illius inſcriptionis conſtat ſatis: ſed Caſſiodori ævo cancellarii jam erant conditionis paulo melioris. Porro du Fresnius: *Hæc ita in Italia obtinuere, ſecus in Gallia.* Nam ibi cancellarios fuiſſe *notarios*, temporibus nimirum Carolinorum. Non putandum autem eſt, diſparem olim hic rationem fuiſſe Italiæ & Galliæ; qvemadmodum & tempora Carolinorum hac in re conformia utrobiq; deprehenduntur. Credo, eundem errorem ſeqvi Jo. Jac. Hofmannum Tom. I. fol. 363. *poſt alterum ſeculum* (à Carino ſcilicet,) *unus e cancellariis ad ampliſſimum crevit faſtigium apud Caſſiodorum lib. XI. form. 6.* Intelligit Joannem illum, qvi ſub aſpectu Caſſiodori in aula regia agebat, qviqve non in certam provinciam mittebatur: *juſſa noſtra*(Casſiodori)*ſine ſtudio venalitatis expedias, omniaq; ſic geras, ut noſtram poſſis commendare juſtitiam. Actus enim tui, judicis opinio eſt: & ſicut penetrale domus de foribus poteſt congruenter intelligi, ſic mens Præſulis de te probatur agnoſci. -- Sic miles ad ſecreta Judicis proximatus, Præſulis ſui famam aut ornat aut maculat.* Utiq; hoc faſtigium Joannis non erat amplisſimum, nec præ aliis iſtorum temporum cancellariis habebat qvicqvam præcipui. Neq; id factum *poſt alterum ſeculum*, ſed poſt aliqvot ſecula. Et, qvæ ſeqvuntur, ſimiliter peccant in ordinem temporum: *Minui videtur amplitudo iſtius muneris Hincmari ævo in aula Gallica; dum parte una fungitur Apocriſiarius, alia Comes palatii, Cancellario ipſo*

vix

Digitized by Google

vix aliud curante quam chartas Regias. Tenendum potius, ſenſim creviſſe illam amplitudinem. Et Caſſiodorum plane ignoraſſe faſtigiũ illud, ad qvod Carolini paſſi ſunt capellanos ſuos paulatim aſcendere. Sive enim in Conſiſtorio aulæ agerent, (uti Joannes ille ſub aſpectu Caſſiodori, Lib. XI. form. 6.) ſive mitterentur in provinciam aliqvam, (de qvibus idem Lib. XII. form. I.) juſſionibus & obtutibus aliorum obſecundare tenebantur, & ſplendebant mutuato lumine, nitebantur viribus alienis, & qvædam imago in illis videbatur eſſe veritatis, qvi proprii non habebant jura fulgoris; uti de iis, qvi vices agebant, & a vicariis multum diſtingvebantur, loqvitur Caſſiodorus Lib. VI. form. 15. p. 416. *Et ideo magnopere cavendum eſt, ne ille de vobis incipiat judicare, cujus vos opinionem contigerit ante laceraſſe. Ulciſcitur pœnis, qvi inſiſtit in fabulis,* i. e. in accuſationibus popularibus. *Et* (pro *ut*) *tormentis veſtris compenſat, qvod populus vulneratus exaggerat. — Qvare ſicut te poteſt judicis vel ſermo adverſus deprimere, ita proſperrima ſententia ſublevare.* p. 741. Nam Judicum erat *chlamys* & *purpura*, & a Principe *fratres* vocabantur. L. VI. form. 21. p. 430.

p. 10. *& hodieq; Cancellarii Franciæ*] Renatus Choppinus de Domanio Franciæ Lib. 3. Tit. 21. n. 8. poſtqvam Arcadii & Honorii meminiſſet, ſtatim: *Hinc Franciæ Cancellarius, qvo verbo Flavius Vopiſcus & Anſegiſus in Conſtitutionibus Karoli M. publicos ſcribas deſignarunt.* fol. 364. Non putem miſceri debuiſſe tempora Arcadii & Honorii, imo Flavii Vopiſci ſive Carini, de qvo loqvitur, deinde Caroli M. cum noſtro ævo. Sed graviorem cenſuram meruit Andreas Schottus in funere Antonii Auguſtini: *Patre natus pro-cancellario Aragoniæ. Qvæ dignitas hodie apud Reges ſecundas tenet.* Jam pergit: *Auguſtorum qvoq; Romanorum temporibus, ut ex Annalium memoria & Carini Imperatoris vita obſervare memini, plena in adminiſtrandis rebus*

bus publicis & honoris & auctoritatis Cancellarii poteſtas perpetuo fuit. p. 598. Certe ex vita Imperatoris Carini & Flavio Vopiſco, qvi ad oram adſcriptus eſt, parum laudis. Ecqvis vero decepit Jo. Jac. Hofmannum, ut ſcriberet *Lexic.* Tom. I. fol. 363. *Cancellarius Imperii, primo omnium memoratur Fl. Vopiſco in Carino; cum humile admodum ac deſpectum munus fuit.* Qvis eſt ille cancellarius Imperii? Jo. Mabillonius Presbyter & Monachus S. Benedicti vidit, meliora attuliſſe Jacobum Gothofredum, ſed condonandum ei eſt, qvod mentem ipſius non fuerit per omnia aſſecutus. Nam hic ſatis accurate diſtinxit tempora Carini & Caſſiodori: Mabillonius autem ea inter ſe permutavit. De Re Diplomat. *L. II. c. XI. n. 4. fol. 113.* Qvumqve Karolo M. tribuat qvatuor adeo cancellarios, c. XII. fol. 117. omittat tamen recte Eginhardum, mirum eſt, ex qvinqve Diplomatibus Caroli M. num. L. LI. LII. LIII. LIV. Lib. VI. fol. 495. ſeqq. nullum ſubſcriptum eſſe vel a cancellario, vel a notario, vel capellano etiam; de annis 775. 777. 778. 782. Seqvitur ſextum, num. LV. ſubſcriptum demum a notario, anni 783. Aliud num. LVII. anno 791. *Wineradus cancellarius juſſus ſcripſi & ſubſcripſi.* Hi ſunt veteres illi cancellarii Carolini. At enim ſubjiciuntur deinceps Diplomata ejusdem Karoli M. ſeptem adeo, num. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. ubi nullum veſtigium iterum in annis ſeqventibus 793. - - 813. Mox incipiunt Diplomata Ludovici Pii: qvorum nonnulla ſubſcripſit diaconus, vel notarius. Eundem ſtylum obſerves in Diplomatibus Caroli Calvi, num. 81. - 91. Qvædam tamen deſtituuntur etiam iſta ſubſcriptione, num. 96. 97. 98. Aliqvando ſubſcripſit *indignus levita*, num. 100. & 106. anni 869. Faſtuoſus qvidam ſemel ſub Lothario, num. 92. anni 858. *Ercamboldus regiæ dignitatis cancellarius*, i. e. notarius. Sic alius qvidam ſub Carolo Simplice, num. 125. anni 916.

Digitized by Google

916. *Goſlinus, regiæ dignitatis notarius:* qvi tamen alibi ſe tantum *notarium* eſſe fatetur. num. 126. 127. 128. 129. citra deſignationem vel Archicapellani vel Archicancellarii. Qvomodo apud Chriſtoph. Browerum Annal. Trev. Lib. 9. n. 43. fol. 441. recitantur tabulæ Zvendeboldi Lotharingiæ Regis, anni 898. ubi memorabilis ſubſcriptio: *Waltgerus notarius ad vicem Rutgeri Archiepiſcopi archi QVE cancellarii, recognovi. Actum Aqvisgrani in palatio.* Sed hic tempeſtive ſuccurrit alia obſervatio Mabillonii fol. 115. aliqvando notarios ſe vocaſſe cancellarios ad vicem archicancellarii, *maxime apud Germanos.* Qvo pertinent tabulæ Broweri n. 50. 57. & 62. qvas non tranſcribo, nec non aliæ apud Mabillonium ipſum, num. 141. & 145. Hoc certum, nullum horum omnium notariorum comparari ullo modo poſſe cum Vice-Cancellariis ſeculi cultioris.

p. 15. *atq; adeo a juvene*] Ita qvidem ſuſpicabatur Eraſmus in Vita Hieronymi. Qvum enim ſcribat is ad Gerontiam, ſe ante annos plurimos Romæ apud Damaſum fuiſſe, referenda illa tempora exiſtimabat ad annos juventutis. Atqvi Hieronymus venit Romam tempore Concilii Romani VII. anno CCCLXXXII. ſedente adhuc Damaſo. Hic cum Damaſus tertio anno adhuc currente diem ſuum obiiſſet, regreſſus eſt Hieronymus in Syriam, & Romam amplius non vidit. Si igitur ponamus, Hieronymum fuiſſe natum anno CCCXXIX. jam habuiſſet utiq; virilem ætatem. Sed mire variant ſcriptores circa inveniendum natalem illius. Proſperum ſeqvi non dubitavit Spondanus, & Antonius Pagi qvoqve fol. 211. contra Baronium. Rem non definit Nicolaus Antonius JC. Hiſpal. Bibliothec. Hiſpan. Vet. Lib. II. c. VII. fol. 148. Et apud eum mendum eſt n. 228. ubi pro CCCLXXII. lege CCCLXXXII. Henricus

E 2 autem

autem Hammondus *de Jure Epiſc.* Diſſ. 2. c. 27. §. 8. p. 122. diſerte *eum non ante annum CCCXLII. natum* contendit, *denatum tamen ante annum CCCCXX. fatente Blondello.* Ab his igitur omnibus ſeorſim ſenſit Joannes Cinellius, in Vita Hieronymi, qvam recenſent Acta Lipſienſ. ad ann. 1689. p. 249. ubi perhibetur natus 30. Martii 321. Qvos invicem committamus. Dignior noſtra cura eſt lapis repertus in Catalonia: HIC NATUS DAMASUS PONTIFEX ROMANUS DISCIPULUS ET MONACHUS S. HIERONYMI PRESBYTERI QVI OBIIT ERA CAESARIS CCCCV. Exhibet eum Nic. Antonius fol. 147. ex D. Canales Hiſt. Eccleſiæ Urgillenſis, citante Argaizio. Senſum illius lapidis ita explicant: autorem fuiſſe Hieronymum certi ordinis monachorum, & illam regulam amplexum etiam Damaſum, in ſupremo apice dignitatis Pontificiæ. Qvæ res Nic. Antonio viſa eſt ſibilo excipienda. Et forte huc ſpectare ſuo modo dixeris litem illam, qvæ viguit inter Hermenegildum a S. Paulo, & Argaizium, qvem ſecutus eſt Joſephus Perezius, Benedictinus: de qvibus adeunda ſunt Acta iterum Lipſienſ. ſupplem. Tom. 2. ſect. V. p. 201. Nobis alia mens lapidis iſtius. Suggillatur ibi familiaritas, qvæ Damaſo interceſſit cum Hieronymo per triennium illud, nondum integrum. Invidiam enim plurimorum ſibi inde conflavit uterqve, qvæ in publicas etiam iſtas vellicationes tandem erupit. Et qvanqvam non omnes Epiſtolæ, qvas utriqve videmus tribui, ſint genuinæ, omnes tamen etiam nemo accuſaverit. Sed & il æ ipſæ, qvas Schelſtratenus aſſentiente etiam Antonio Pagi fol. 244. ad Bar. & Nic. Anton. f. 146. dubias reddidit, a Joanne Ciampino, in eadem Curia Romana iterum vindicantur libro, qvem laudant Acta Lipſienſ. Suppl. Tom. I. Sect. IV. p. 167. 170. Saltem ad cauſam illæ præ-

læ præſentem non pertinent, ſed ad librum de Vitis Pontificum. Noſtra autem Epiſtola Damaſi, cujus mentio facta p. 15. a diligentisſimo cenſore Dav. Blondello in tantum laudatur in Pſeudo-Iſiodoro, ut in ea plane agnoſcat terſam Damaſi phraſin, ac fidem Hieronymi approbet, qvi in epiſtolis ſuis iſta nobis monumenta ſervare voluerit. p. 541. Sed & inſeruit eam totam Operi ſuo p. 547. *ut ſentiant lectores, qvi eam oculo vigilante percurrerent, qvid diſtent æra lupinis.* Atqvi Eraſmum noluiſſe illam eſſe Damaſi, affirmat Nic. Antonius fol. 143. n. 205. cujus fidem ſollicitare, qvanqvam nullam adjecerit loci iſtius mentionem, non ſuſtineo. Certe faſtidium, qvod ex longitudine epiſtolarum Lactantii ſibi generatum ibi ait Damaſus, & qvod Scholaſticis magis apta ſint qvam Romano Pontifici, qvæ ibi de metris, & regionum ſitu & philoſophis diſputantur, non potuit Eraſmo dubitationis præbere anſam. Nec ingenuam iſtam confesſionem ægre tulit Hieronymus. Nicolaus Antonius autem falſe reſpondet Pontifici ſuo: *nos faſtidium illud, ſi hodie extarent epiſtolæ illæ Lactantii, libenter qvidem devoraremus.*

p. 20. *capellam olim fuiſſe miniſterium eccleſiaſticum*] Mabillonius fol. 114. fatetur, capellanos fuiſſe miniſtros capellæ, & manuales etiam appellatos. Imo Ilephonſus Perez de Lara, JC. Hiſpanus, toto libro ſecundo fuſe agit de Capellaniis, dictis a cappa S. Martini ſecundum Baronium, in martyrologio die 11. Junii. Sed & cubicularii Rom. Pontificis, capellani apud eundem. Legendus hic Conringius in Cenſura Diplomatis Ludoviciani p. 189. cum ſtricturis Mabillonii fol. 116. 117. Notanda etiam loca admodum perſpicua Monachi Sangallenſis, Walafrid. Strabonis & Honorii de cappa S. Martini, apud du Freſnium Tom. I. fol. 775. Id vero anceps eſt, locum Mauricii, ab eodem alla-

tum, de iſta re velle exaudire: ἵϛαται ὁ ἄρχων, καὶ μετ᾽ αὐτὸν ὁ βανδοφόρος, ὄπισθεν ἢ αὐτῷ ὁ τὴν κάππαν βαϛάζων, καὶ μετ᾽ αὐτὸν ὁ τὴν τοῦβαν. Nihil de S. Martino reperio in ſtrateg. Mauricii, neqve etiam apud Jo. Schefferum in notis, Upſal. 1664. Qvin potius credebat is intelligi mantellum Præfecti militiæ, p. 429. Nam & Voſſium in Gloſſar. p. 369. latius extendere illius vocis ſignificationem: qvæ non monachalis modo, ſed etiam militum aliorumqve laicorum fuerit. Et ea de re fuſius egiſſe Watſium in Gloſſario ad Mathæum Pariſium. Ceterum id menti Mauricii parum congruit. Structura enim & ordo ſignorum omnium militarium eſt nimium evidens, & excludit omnino veſtimentum Præfecti. Addo locum alium ejusdem Mauricii lib. 3. c. I. ubi iſtam denuo ſeriem videas: τὸ βάνδον, ὁ ἄρχων, ὁ βουκινάτης, ὁ τὴν κάππαν βαϛάζων, & ſeqvuntur ibi adhuc plures, p. 78. Sed vero apud Clerum Romanum ædes etiam, ubi cappa S. Martini aſſervabatur, capella. Imo ipſa cancellaria: qvia in capella ſeu Oratorio Principis erat archivum, diplomata & monumenta regni. Adeoq; capellani, qvi deſcribendis regiis publicisve inſtrumentis addicti. Nam juxta cum reliqviis Sanctorum, archiva reponebantur. Ubi tamen fatetur du Freſnius, patres Eccleſiæ Gallicanæ ægre ſubinde paſſos, clericos & presbyteros cancellariorum munus obire. *Tom. I. fol. 786.* Nam & in Concilio Cabillonenſi II. anni 813. c. 44. *Scripſimus, presbyteros villicos eſſe non debere, & nunc eos in tabernis bibere, cancellarios publicos eſſe, nundinas inſolenter peragere.* Incidunt hæc in tempora Caroli M. & apertum eſt, contemptim eo nomine perſtringi mores clericorum. Sic in Chonico Schwarzahenſi *archicapellanus* Caroli M. exponitur *princeps ſcribarum.*

pag. 21. *commentarienſis*) Qui carceribus & cuſtodiæ reorum præerat. Nam & carceres ipſi *Commentaria*. Quo pertinet locus Athanaſii in apologia ad Conſtantium, adductus a Pancirollo in Notit. Imp. cap. 13. fol. 31. Jam quia cancellos a carceribus denominatos fingebant, non potuere non ulterius peccare, & cancellariorum officium cum commentarienſibus confundere. Locus alius notabilis eſt apud Bernhardum Serm. 56. in Cantic. *Sponſus per cancellos confeſſionum tuarum te intus benigne reſpicit. - Quales hi, qui libros deſcribunt, aptare ſibi ſolent ad recipiendum lumen paginis*. Quæ verba ſi occurriſſent Jacobo Gothofredo, jam haberemus eruditum interpretem.

p. 24. *de Trevirenſi*) Boeclerus ubi Malincroti meminerat, *accuratior eſt*, inqvit, *& plenior diſſertatio Broweri in digreſſione de regno Arelatenſi Lib. 16. qui Boëmundo, anno 1299. mortuo, primum Archi Cancellariatus titulum in ſcriptis acceſſiſſe autumat: ab Arnoldo II. mox ſuſceptum & ita in poſteros confirmatum*. Paulo aliter Browerus num. 156. Fridericum II. titulum Archicancellarii Arelatenſis Boëmando tribuere, & ex hoc nomen mutatum in nomen Archicancellarii Galliarum: itaque ab Arnoldo Archi-Epiſcopo Trevirenſi II. primo ſuſceptum, & deinde poſteris confirmatum. Multum recedunt ab hoc genere cancellarii aliarum Eccleſiarum Cathedralium: quorum mentio occurrit in textibus Innocentii III. puta c. 16. X. de Sent. & re judicata, (in Operibus Ejusdem conſtit. 104. fol. 299.) ad Decanum, Cancellarium, & C. canonicum Lundonienſem, circa annum 1172. in Galliam. Et c. 46. X. de Appellationibus (in iisdem Operibus Conſtit. 116. fol. 302.) ad Cancellarium Metenſem, ubi & de Cantore Metenſi. Sed & Cancellarius Pariſienſis huc ſpectat, c. 50. X. de teſtibus cogend. Egregius eſt locus in ſtatutis Eccleſiæ Leichefeldenſis in Anglia de officio horum cancellariorum, apud du Freſnium Tom. I. fol. 735. ubi *Scholas conferre* forte accipiendum de jure Scholæ habendæ. Id enim erat inter jura dominicalia. Tom. III. fol. 739. Complexus paucis hæc eſt Zieglerus ad tit. de ſentent. & re jud. p. 382. *habebant ſigillum, praerant bibliothecæ, & Scholis, unde & magiſtri ſcholarum quandoq; vocabantur*.

p. 25.

p. 25. *Decollavit ſpes iſta.*) Inter Ejusdem Spelmanni Opera poſthuma tamen, ab Edmundo Gibſon 1698. edita, deprehendas Diſſertationem de antiqva regiminis Anglicani forma, ſive enarrationem munerum Eccleſiaſticorum & civilium pariter, quæ Saxonici Reges olim inſtituerint, ceu Acta Lipſienſ. ad ann. iſtum pag. 444. perhibent. Quorum directori, ultra vicennium indelaſſabili,& adeo Photio Saxonicarum regionum,longam & vegetam ſenectam & quæcunque præterea poſſumus,apprecamur. Ceterum ſub finem Caſſiodorus eo adhuc nomine nobis laudandus eſt, qvod librorum etiam ſacrorum curam habuerit. Nam de Epiſtola ad Romanos non eſt dubium. *Div. inſtit. c. 8.* Homilias autem Chryſoſtomi ad Hebræos per Mutianum fecit in latinum transferri. Similiter Clementem Alex. in Petri I. Johannis I. & II. & Jacobi, per alios. Qvod ne qvem offendat, certum eſt, non ipſum, ſed amicos ejus transtuliſſe etiam Homilias Chryſoſtomi in Actus Apoſt. *c. 9. p. 879.* Triconio autem Donatiſtæ in Apocalypſin, tantum in bonis dictis χρησιμῶν, in malis ἀχρήστων, qvantum tranſiens repperit, ipſe affixit. *Ibid.* Ubi addit Jo. Garnerius Tom. I. fol. 17. *ut reliqvas epiſtolas corrigendi exemplum ſuis praberet.* Junge huic F. D. de Sainte Marthe la vie de Caſſiodore L. 4. Breves vero illæ explanationes, de qvibus *in præf. Orthogr. p. 950.* aut non extant, aut non ſunt Clementis, ſed ipſius Caſſiodori.

p. 28. *ex codice antiquarum membranarum MS.*) In eo continetur præter alia, etiam copia privilegii Studii Bononienſis. Incipit: *Theodoſius Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus in imperium conſtitutus a theodoſio patruo ſuo.* Finit: *Sub anno nativitatis Dni nri ihu criſti CCCCXXIII indictione ſexta, incipiente imperare Theodoſio juniore & imperante XXVI. annis.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Erratum:

p. 6. l. 9. legendum: *ubi Joannes qvidam eodem modo electus, non tamen in provinciam mittitur.*

Digitized by Google